

DEDICATORIA.

rim, tuq̄, adeò huiusce editionis incitator & auctor fueris inter alios præcipuus: præter decorum duxi, & ab officio alienum, tantilla in re abs te potissimum atq̄ alijs amicis conatum meum desiderari. Qui qualiscunq̄ est, meritò tibi dedicandus videtur, qui harum rerum adeò non es ignarus, vt secundum tibi cognouerim ἐν τοῖς Μαθηματικῶις, in his nostris finibus neminem, vt interim taceam linguarum meliorum, sacrarumq̄ literarum peritiam. Quæ omnia ad miraculum vsque, summis non solum laboribus, verumetiam cum bonæ valetudinis non parua iactura consecutus es. Accipe igitur pro tuo in nos favore hæc quamuis exigua, ac remissis interim grauioribus curis, ne tertio nos aduersa valetudine oppressus inuisas, hæc leuiora perlege, corrige, ac pro censoris officio omnia immuta. Quod reliquum est, fac vt rectius valetudinem tuam cures, meq̄ vt soles, amare non desinas.

Vale. Louanij, quinto Calendas Ianuarij.

A 3 ARITH-